



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**TRACTATVS|| DE CON-||FESSIONIBVS MA=||LEFICORVM ET
SAGA-||RVM SECVNDÒ RECOGNI||tus, & auctior redditus.||
An, & quanta fides ijs adhibenda sit?||**

Binsfeld, Peter

Avgvstae Trevirorum

VD16 B 5530

Prima Conclusio. Licitum est aliquando ex garritu, motu, aut auium dispositione futura prædicere, quæ pendent ex instinctu naturali auium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41113

demonstrat. Quàm citò autem huius generis animal super te videris, vltra quintum diem viuere non valebis. A gentilibus ad nostra tempora puto hanc superstitionem deriuatam. Multi si ægrotent, molestissimè ferunt noctuæ clamores. Sed his omissis superstitionibus, veritas rei determinanda est.

Prima Conclusio. *Licitum est aliquando ex garritu, motu, aut auium dispositione futura prædicere, quæ pendent ex instinctu naturali auium.*

CVM enim bruta animalia habeant animam tantum sensitivam, cuius omnes potentiæ sunt actus corporalium organorum, subiacet eorum anima dispositioni continentium corporum, maximè cœlestium, & ideo nihil prohibet aliquas eorum operationes esse futurorum signa, in quantum conformantur dispositionibus corporum cœlestium, & æris continentis, ex quibus proueniunt aliqui futuri euentus. In hoc tamen duo consideranda sunt: Primum quidem, vt operationes huiusmodi non extendantur, nisi ad præcognoscenda futura, quæ efficiuntur per motus cœlestium corporum, de quibus suprâ. Secundum vt non extendantur, nisi ad ea, quæ aliquantulum possunt ad huiusmodi animalia pertinere. Consequuntur enim per cœlestia corpora
cogni.

cognitionem quandam naturalem, & instinctum ad ea, quæ vitæ sunt necessaria, sicut sunt immutationes, quæ fiunt per pluuias & ventos, & alia huiusmodi. Sic S. Thomas loco citato, quem sequuntur S. Antonin. Turrecrem. Syluest. & alij. Ad huius conclusionis confirmationem facit illud Hieremiæ 8. Miluus in cælo cognouit tempus suum: turtur & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui. Sic quædam aues quando frequenter garrunt, indicant futuram pluuiam. Sic grues & hirundines præsentunt futurum frigus hyemis, ac fugiunt ex partibus nostris, & aduentante calore æstatis, redeunt. Sic etiam experientia compertum est, quod quando perdices, aliæ aues, aut lepores, vel quædam alia animalia circa medium hyemis pinguiora sunt, longius erit frigus: quia natura hoc dictante, & quasi præfagiente, se impingunt. Hęc enim & similia cum sint naturalia & sensibilia, utpote ad conseruationem indiuidui necessaria; à dispositione cælestium corporum imprimuntur naturæ sensitiuæ animalium.

Secunda Conclusio. *Ex auium gestibus prædicere aliqua futura, quando mouentur ad aliquid agendum motu angelico, non est illicitum.*

VT patet in columba super Christum descendente: & in coruo, qui pauit Heliam:
& in